

d) ANNALES BASILIENSES UND ANNALES COLMARIENSES MAIORES

Exzerpte eines Dominikaners Ende des 14. Jahrhunderts in der
Hs. A X 130 der Universitätsbibliothek Basel fol. 39^{r-v}

Nota de cronica in Columbaria, quod quedam soror de subtilia¹⁾ fol. 39^r
confessori secreto fassa est se infra duos annos plusquam CCC^a) psalteria
pro orationibus legisse. Item in una nota quasi cottidie psalterium
dicebat. Item eidem confessor interdum pro negligenciis C psalteria
iniungebat et pro peccatis etc. Item in Schlettztat²⁾ soror eiusdem
ordinis interdum orabat ex devocione X vel XX^{ti} psalteria in con-
fessione sibi a confessore data. Item in sancta Katharina Argentine³⁾
quedam devotissima eiusdem ordinis soror infirmata vidit aquam et ultra
eam^a) iuvenem pulchrum, a quo quesivit, quis esset. Respondit: Funda-
mentum. At illa latinum intelligens ait: Fundamentum ad menia per-
tinet etc. Respondit: Ego sum. At illa: Corde advenire cupio. Respondit:
Statim venies. Illa ad se reversa dixit hoc sororibus et statim in brevi
tempore carnis debitum solvit. Item aliquando frater Arnoldus de
Sanctis⁴⁾ in subtilia predicaverat die dominica. Fuit autem frater ille
predicator devotissimus, qui grangiam ingrediens vidit plastrum feni
adduci. Capitulans autem servos, cur die dominica fenum ducerent,
responderunt: Quia priorissa nos iussit, ne putrefieret ex pluvia immi-
nenti. Respondit: Dominus in ampliori eas plagabit. Quod factum est.
Nam hyeme a se fenum ardere cepit, combussit grangiam. Pulsant
sorores, sed nemo civium accurrit, quia eas opulentas omnes dicebant.
Item retulit^{b)} frater Nicolaus de Aquis⁵⁾ frater devotissimus, quod in
provincia Provencee frater devotissimus diu pro statu ordinis sanctum
Dominicum, quem tenerrime diligebat, oravit. Anno autem domini
MCCC post matutinas oranti apparuit de presbyterio dicens: Nosti me. 1300
Cui inquit: Ita. Ille eum osculans retro altare ductum ait: Vos apostata-
stis ab ordine meo et mutastis omnes constitutiones et consuetudines

^a) Hs. eum

^b) oder auch rettulit

¹) St. Johannes Baptista sub Tilia (Unterlinden) in Colmar.

²) St. Nikolaus in Silo in Schlettstadt, gegr. 1245; 1254 durch Nonnen aus dem zerstörten Kloster Silo bei Reichenweier verstärkt.

³) St. Katharina in Straßburg.

⁴) Arnold von Xanten.

⁵) Nikolaus von Aachen.